Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 561
Quelle:
Copyright:

tile pro *fertilis*, et *uenire* pro *juventae*. In ipſo Poematis ingreſſu nihil diſcrepat.

Fol. 179. p. 2. Praefatio ἀνεπιγραφος, et poſt illam minio: *Incipit Adverſus Symmachum Aur. Prud. Clem. Liber Prior.* Praefat. initium: *Paulus preco dei* &c. Libri: *Credebam uiciis egram* &c. Ut Edit. *cit.* p. 127. *Liber* II. auſpicatur *fol.* 196. p. 2. Ejus Praefatio init: *Simon quem uocitant petrum* &c. et liber ipſe: *Hactenus et ueterum cunabula* &c. Minus commode hic habitum eſt *Prudentii* praecipuum fortaſſe Poema; nam et frequentius lapſus eſt Librarius, et non paucae Membranae ſitu vitiatae ſunt. Integrum tamen eſt, et *Liber* I. Deorum titulis miniatis, II. vero locis ex ipſa *Symmachi* Relatione, quae refutanda ſibi ſumſit Noſter, interſtinctus, quorum nihil in Edit. *Parmenſi* obſervatum, quae ceterum *Ephemeridibus Götting.* ad an. 1788. p. 1481. nimium quantum Romanocatholica viſa eſt.

Fol. 222. p. 2. praeclarum Codicem terminat Elegia ἀνεπιγραφος in laudem *Philomelae*, ſerius paullo, ſed non poſt Sec. XII. adſcripta, quam memorari video cum in *Matth. Martinii Lexico* v. *Turdus*, tum e *Cod. Reg. Pariſ. n.* 6816. in *Novo Carpentarii Gloſſario* ad vv. *Doroſca*, *Zinzitare* et *Zinzizulare*, quaeque *Ovidio* olim tributa cum aliis ei Subpoſitis extat in variis Sec. XV. et XVI. Editionibus, et etiam ſeparatim, ut pluribus exequitur *Fabricius Bibl. lat.* edit. *Erneſt.* T. I. L. 1. c. 15. p. 463. Abrumpitur vero poſt 22. Diſticha in Hexametro:

Scribere me voces avium filomela coegit — —

Et reipſa in his deſudavit Poeta, de latina civitate, ut videtur, parum ſolicitus; Parrus enim illi *tinnipat*, Merulus *zinzitat*, Acredula *furirulat*, Bumtardus *trucilat*, Sturnus *puſitat*, Perdix *caccabat* &c. Atque haec Ὀνοματοποιια mire, uti pronum, per Exemplaria variat. Librario noſtro tantum de *Avibus* res fuit; omiſit enim alteram *Elegiae* partem, qua *Quadrupedum* voces recenſentur, ut videre eſt in memoratis Editionib. et *Goldaſti Catalectis Ovid. Francof.* 1610. 8. Autorem porro hujus Poematii ut *Theotiſcum* putem, *Turdi* compellatio facit, quae illi *Droſca* ſive *Droſta* eſt, in qua noſtrum *Droſſel*, aut *Droſtel* quis non videt?

Exacto ita Codice obſervandum reſtat, ſcatere illum *Gloſſis* a capite ad calcem partim coaeva, partim poſteriore manu additis. Harum, quae latinae ſunt, Textum explanant; ſunt vero multae των συγγενων etiam *Theotiſcae*, atque harum Specimen aliquod adjicere juvat, et primum quidem e mox memorata *Elegia:* Merulus *Amſta.* Sturnus *Stara.* Turtur *Turtulatuba.* Palumbes *Hola* (Holz?) *tubun.* Milvus *Wio.* Pavo *Phabo.* Hirundo *Sualua.* Aquilae *Arun.*